

magis propenderem ad trajectiones rectilineares, quam ad revolutiones circulares, cum per illas commodius salvari possint apparentiæ cometicae, quam per has. Quicquid tamen sit, sive κατ' ἐυθείαν, sive circulariter moveatur Cometa, tractus tamen cometicus arcu circuli mensuratur, sub quo nobis apparet. Sed hic arcus non in omnibus unius ejusdemq; est longitudinis, sed in aliis brevior, in aliis longior est, ut ex diurnis motibus, aut ex punctis initii & finis, colligere licet. Cæterum maximus quem Cometa motu suo descripsit arcus in Cælo nunquam, quod historiis proditum est, excedit semicirculum. Seneca l. 7. natural. qq. c. 29. Cometam sub Nerone visum ait sex mensibus mediam cœli partem percurrisse. Cum Sole igitur paria fecit, si modo iusta fuit observatio. Noster, ut ex dictis constat ad 76 gradus aspiravit, & ab Horizonte nostro surgens circa verticem nostrum in cœlo exspiravit.

CAPUT XXVIII.

DE CAUDA COMETARUM.

Restat Cauda Cometarum ultimò velut inspicienda. Sed hæc quot figurarum, quas repræsentat, varietates; tot imò plures sententiarum de se parit diversitates, nec in hunc usq; diem in explicandis causis & naturâ ejus conveniunt eruditi, sed adhuc sub iudice lis est. Aristotelis & veterum interpretum opinionem nemo est qui nesciat, videlicet, flammam esse capitis incendio velut excitatam, & vel vento, vel violentiâ radiorum, in oppositum Solis locum propulsam, vel ut pabulum attrahat contra naturalem ignis inclinationem ad latus aliquod aut etiam deorsum directam, nonnunquam etiam, ubi ad concavitatem orbis Lunæ propius accedit, ab ejus soliditate velut incurvatam, non aliter atq; ignis nostratis fornace inclusi flamma ad latera fertur, in transversum flexa, quam opinionem inter alios propugnat Corolus Piso in Speculo Cometæ c. 17. Verùm sublato fulcro ruit quod ipsi superstructum est: destructâ materiâ fuliginosâ exspirat flamma, nec præter fumos quicquam relinquitur.

Paulò aliter sentit, neq; tamen rem acu tangit, Seneca, qui dum stellas æternos esse credit ignes, Comam Cometarum, quos veris accenset stellis, nec partem, nec flammam, sed radios esse